MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80157-7

AUTHOR: KUENSTLER, RUDOLF

TITLE: AESCHYLI EUMENIDES

PLACE: VRATISLAVIAE

DATE: 1863

Master Negative #

91-80157-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kuenstler
~~Künstler~~, Rudolf

Aeschylus
Eumenides

1863

Dissertation
Ed see

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/26/91
INITIALS RIC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VIRO

DOCTISSIMO AMPLISSIMO

OPTIME MERITO

FRIDERICO AENOTHEO HAASE

PHILOSOPHIAE DOCTORI ANTIQUARUM LITTERARUM ET ELOQUENTIAE IN ACADEMIA VIADRINA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO AB AQUILA RUBRA EQUITI

DIEM X. MAII MENSIS ANNI MDCCCLXIII

QUO DIE ANTE HOS XXV ANNOS

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES MERUIT

QUA FAS EST OBSERVANTIA

GRATULANTUR

GYMNASII ELISABETANI
PRAECEPTORES.

VRATISLAVIAE
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH).

Q. F. F. Q. S.

Quod vulgo dicunt rem spectandam, non hominem, id non in omni genere verum esse Tu, vir amplissime, Tuo exemplo evidenter demonstras. Cum enim permulti quotannis creentur philosophiae doctores eorumque plurimi inde vitam producant ad annum vicesimum quintum, ut minime id admirandum et celebrandum hominibus videatur: Te tamen ante hos quinque et viginti annos summos in philosophia honores meruisse ubi percrebruit in hac civitate, tantus subito exstitit ardor multorum de honore Tuo certantium inter se, tanta laetitia omnium, quod oblata esse occasio videretur animum et voluntatem erga Te significandi, ut simile in simili causa non meminerim me videre quidquam. Nec mirum hoc cuiquam videbitur eorum, qui Tuae eruditionis copiam et subtilitatem, ingenii acumen et splendorem, animi sinceritatem et constantiam, morum suavitatem et dulcedinem cognitam habeant. Ac quamvis multis nominibus optime meritus sis de multis, haud scio tamen, an gymnasiorum praeceptores virtutis Tuae sint testes locupletissimi; in quibus me ab aetate principatum quendam obtinere non mediocriter laetor. Nam annus hic prope quadragesimus tertius agitur, cum primum studia, deinde omnia fere nostra communicare coepimus; nec ullum tempus intermisimus, quin maneret certe epistolarum consuetudo, dum Te potissimum auctore huc arcessitus Tecum rursus coniungerer. Nec tamen nunc privatas res tractare attinet et in mentem reducere, quae Parthenopoli, Halis, Berolini, Portae, Parisiis, Vratislaviae, aliis locis egerimus, licet gratissima sit et dulcissima illorum recordatio; quoniam publica quadam auctoritate Te adeo collegii nostri nomine gratulaturus et vota pro Tua salute et dignitate nuncupaturus. Cum complures nostrum Tua disciplina usi sint, tum nemo sane est, qui Te non suspiciat et observet et colat. Itaque animi nostri quod documentum Tibi offerremus non indignum illud sive Tua fortuna

sive nostro officio, anquirentibus nobis Kuenstlerus noster, qui semper promptam operam navare solet, particulas quasdam promisit veterum illorum in Graeca tragoedia principum et Aristophanis, quem recte χαρίτων ἄνθος appellant, ab se Latinis numeris redditas atque ita ut, quae essent cuiusque propria, et qua a tragico genere differret comoedia prisca, satis posset perspici.

At mox auctore viro doctissimo, qui ipse est in cohorte Tua, mutavit consilium, ne nimis varium videretur hoc munusculum veritus, atque ex uno Aeschylo locum ampliorem maluit proponere.

Hac autem ratione quod utimur, apud Te non oportet excusari a nobis, quippe qui studium nostrum discipulos etiam ad poeticam artem diligentius instituendi non ignoremus Tibi valde probari. Nec vero quisquam antiquitatis accuratiorem cognitionem prae se ferre debet, qui rudis sit in hac parte non deteriore, nec potest ullus magister, quod ipse nequeat efficere et suo exemplo demonstrare, id recte docere discipulos; et quo quis plus valet sive stilo sive ore, eo magis illorum animos solet accendere et impellere, ut eandem perfectionem velint sectari. Atque cum perutile est Graeca in Latinum sermonem transferri, tum poetarum Graecorum Latina interpretatio praeter communia illa, quae pertinent ad linguarum comparationem, etiam proprium hoc emolumentum praestat, ut accuratiore poeticae rationis notitia imbuti intelligamus, quae Romani integra recipere non dubitarint, quae immutanda et sui sermonis ingenio accommodanda duxerint. Quod quin plurimum conferat ad universam utriusque linguae indolem perspiciendam, profecto non licet dubitare.

At nec volo plura de hoc loco disserere nec possum, quin longius a proposito digrediar. Tibi, vir dilectissime, gratulandum nunc est, et precandus Deus Optumus Maxumus, ut Tua omnia faciat prosperrima, et optandum, ut Te duce et auspice bonae artes, si modo fieri possit, etiam laetius efflorescant apud nos, sin minus, ne quid amplius detrimenti capiant; id quod in Tuis quoque votis esse certo nobis persuasum est. Vale.

C. R. F.

Aeschyli Eumenides

inde a vers. 673 (Herm.) usque ad vers. 942

latinis numeris expressit

Rudolfus Kuenstler.

Herm. 673.

Minerva.

Audite legem nunc, Athenarum viri,
Primas secantes res profusi sanguinis!
Sed in sequens et tempus ortis Aegeo
Semper manebit hic senatus iudicum.
In colle Martis, sede quondam Amazonum
Tentoriisque, quum venirent Thesei
Hostes truces urbique turrigerae novae
Opponerent huic arduas turres meae
Marti litantes, unde nominatus est
Collis pagusque Martis — „hic [1]) horror sacer
Cives tenebit abstinens iniurias
Noctu diuque, — dum tamen caveant sibi
Ne prisca scita moribus foedent novis:
Miscere nam qui sordidum gaudet lutum
Simplicibus undis, invidet potum sibi.“
Status nec exlex comprobetur — suadeo
His civibus benigna [2]) — nec dominatio,
Nec prorsus omnis urbe sit procul metus:
Nam quis hominum fas servat amoto metu?
Sed debite verentes hanc Reverentiam
Terrae salutem et civitatis ancoras
Habebitis, quas nemo habet mortalium
Nec in Scythis nec Pelopis in cultis agris.

[1]) Sic Hugo Grotius, qui huius tragoediae paucos versus elegantissime interpretatus est. Cf. Aesch. ed. S. Butler T. VIII.

[2]) Heathii coniecturam περιστέλλουσα i. e. benigne prospiciens recepi.

[1]) Quae lucra spernat, sic verendam curiam
Hanc et severam, dormientium vigil
Tutamen, his in finibus iam colloco.
Hortamen illud civibus dixi meis
In omne tempus. Nunc oportet surgere
Litemque latis calculis discernere
Fidem verentes iudices. Haec hactenus!

Chorus.

At hoc acerbum finibus commercium
Nullatenus despicere suadeo tibi.

Apollo.

Et mea Iovisque vos ego pavescere
Responsa iubeo nec caduca reddere.

Chorus.

Sed tu cruoris tibi negatas res tuens
Non sacra colens iam praecines oracula.

Apollo.

Num quid paterque decidit sententia,
Ixionis quod abluit primam necem?

Chorus.

Ais; sed ipsa lite ni pervicero,
Iterum molesta commorabor his agris.

Apollo.

At in novis dis et vetustioribus
Nullos honores tu tenes vincamque ego.

Chorus.

Sic et Pheretis in domo Parcis eras
Auctor, homines ut nescios facerent mori.

Apollo.

Quid? Nonne fas est prosequi bonis pium,
Potissimum si quis precans advenerit?

[1]) Hunc tralaticium versuum ordinem contra Hermannum et Dindorfium optime defendit Schoemannus in dissert. de transp. vers. in Aesch. Eum. p. 10.

Chorus.

Tu prisca prorsus instituta [1]) proterens
[2]) Dira vetustas strage fraudasti deas.

Apollo.

Sed tu statim non obtinens finem rei
Virus inimicis evomes nihil grave.

Chorus.

Quum me vetustam proruas novus deus,
Ut litis huius audiam finem moror —
Irascar urbi necne mente fluctuans.

Minerva.

Sententiam iam ferre summam me decet
Egoque Orestae calculum apponam meum.
Nec ulla quae me procrearit mater est
Proboque tota mente — praeter nuptias —
Quicquid virile est; tota vero sum patris.
Hinc inde fatum feminae non praeferam,
Domus patronum quae maritum sustulit.
Vincitque Orestes sortium et numero pari.
Ex alveis iam ferte calculos cito,
Quoscunque munus iudices suum vocat.

Orestes.

O Phoebe Apollo, causa qua secabitur?

Chorus.

Nox atra, mater, nonne conspicaris haec?

Orestes.

Instat mihi nunc laqueus aut sol candidus.

[1]) Pro eo quod libri exhibent *δαίμονας* cum Hermanno lego *διανομάς*.

[2]) Hoc loco quamquam omnes libri exhibent *οἴνῳ* idemque videtur legisse schol. Eurip. Alc. 10. tamen equidem nescio quomodo illa scriptura probata sanae interpretationi satisfieri possit. Illud vero *οἴνῳ* nullo modo posse tolerari iam vidit Stanleius idemque sentiens recte monuit Welckerus (Rhen. Mus. 1857. p. 210) qua Parcae illae austerae atque graves vino decipi dicantur sententiam esse comoedia dignam, indignam tragoedia. Iam quod Welckerus scribendum putavit *σίνων* sine ulla dubitatione reciperem, nisi activum *σίνω* mihi offensioni esset. Fortasse vero levi mutatione facta scribere licet *σίνει = βλάβῃ*.

Chorus.

Nobis perire aut post honoribus coli.

Apollo.

Rite, hospites, numerate iactos calculos
In separando iure servato bene!
Quum sors abest vel una, magnum fit malum,
Et una[1]) praesens sors domum servaverit.

Minerva.

Est liberatus iste lite sanguinis:
Nam numerus est utrimque compar sortium.

Orestes.

Regina Pallas, o salus domus meae,
Tu me fugatum patriis ex finibus
Redintegrasti! Multus in Graecis erit[2])
Sermo: Vir hic Argivus en ab integro
Est et paternas incolit res Palladis
Et Apollinis vi tertiique sospitis,
Qui cuncta complet, qui patris fatum colens
Vidensque matris has patronas me iuvat.
Sed ego domum revertar hisce finibus
Tuaeque genti iure iurando dato,
In omne tempus quod futurum sit ratum:
Nunquam meorum finium vir ductor huc
Ingressus hastis ducet ornatam manum!
Nam nosmet ipsi tum sepulcro conditi,
Haec iura qui iuranda quando laeserit,
Huic moliemur pergraves molestias
Viasque tristes et sinistros transitus,
Ut hunc laboris taedium capiat sui.
Sed fas secutis Palladisque moenia
Hastis amicis semper haec colentibus
Ipsis geremus usque nos amicius.

[1]) Todtii coniecturam (cf. Philol. XV. p. 217) παροῦσα opp. ἀπούσης, quippe quae sententiae aptissima videatur esse, comprobo.

[2]) Ut formula: καί τις (cf. Haasii Miscell. phil. lib. V. p. 32) servetur, sic vertas:
Redintegrasti: atque aliquis e Graecis feret
Talia: Vir hic e. q. s.

Iam tuque salve tuque gens urbem tenens
Tuis inevitata proelia hostibus
Pugnes decoras auferens victorias!

Chorus. [1])

A. Eheú di noví! Vos manibus ex meís
Vetusta iura surpuistis proruta!
Sed égo turpis ínhonora et íra freméns
Agrís hisce — vaé! —
Venéni venéni profúndam invicém
Moléstos liquóres humó pestiléntes:
Sed ínfrons et ílliberís deinde líchen
Eheú fas! agrís immeáns ruribús
Notas profundet, pestilentiam viris.
B. Gemíscamne? Quíd agam? Gravís civibús sim!
Gravés filiaé Noctis heú! flebilés
Misérias tulérunt
Doléntes honóres suós perditós!

Minerva.

Audite me neu ferte quid molestius!
Nec enim iacetis: exiit vere pari
Haec causa calculo nec in probrum tuum
Aderant Iovisque clara testimonia
Et ipse vates ipse testis extitit
His perpetratis esse Orestem nil reum.
Nolite succensere neu terrae meae
Ira gravi fervere neu penuriam
Frugum parare falcibus guttae trucis
Diris vomendis, seminum damnis feris!
Egoque vobis spondeo data fide:

[1]) Hoc canticum quod primum strophis Alcaicis usus verti secundis curis retractandum esse putavi, quum illae satis quidem graves pro Horatiana Musa tragoediae dignitati minus aptae viderentur. Atque quum apud Aeschylum concitatissimus Furiarum sermo numeris Dochmiacis inclusus sit interpositis duobus trimetris iambicis, Romani autem a numero Dochmiaco abhorruerint, versus bacchiacos Dochmiacorum vim et dignitatem fere exprimere ratus, (praesertim quum apud ipsum Aeschylum dochmiacos excipiant bacchiaci numeri cf. v. 778, στενάζω; τί ῥέξω; γένωμαι δυσοίστα πολίταις.) tetrametros et dimetros bacchiacos et acatalectos et catalecticos ad hoc canticum adhibui; ita, ut integris relictis illis trimetris iambicis hae bacchiacorum nascerentur formae:

⏑–́–⏑–́–⏑–́–⏑–́– | ⏑–́–⏑–́–⏑–́–⏑–́ | ⏑–́–⏑–́– | ⏑–́–⏑–́

vel priore arsi soluta:

⏑⏑́⏑–⏑⏑́⏑–⏑⏑́⏑–⏑⏑́⏑– | ⏑⏑́⏑–⏑⏑́⏑–⏑⏑́⏑–⏑–́ | ⏑⏑́⏑–⏑⏑́⏑– | ⏑⏑́⏑–⏑–́

Sedes in arvis et latebras debitas
Et ad focos coletis insignes thronos
Honore summo civibus cultae meis.

Chorus.

A. Eheú di noví! Vos manibus ex meis
Vetusta iura surpuistis proruta!
Sed égo turpis ínhonora et íra freméns
Agrís hisce — vaé! —
Venéni venéni profúndam invicém
Moléstos liquóres, humó pestiléntes:
Sed ínfrons et ílliberís deinde líchen
Eheú fas! agrís immeáns ruribús
Notas profundet, pestilentiam viris.
B. Gémiscamne? Quíd agam? Gravís civibús sim!
Gravés filiaé Noctis heú! flebilés
Misérias tulérunt
Doléntes hónores suós perditós!

Minerva.

Vos integrae nolite iusto durius
Hominum deae vastare terram funditus!
Et ipsa fido — quid loqui iuvat? — Iovi
Deumque novi sola claves liminum,
Quîs fulmen obsignatur. At nil est opus
Illo: sed obsecuta tu mihi cave
Terrae protervae tela linguae mittere,
Quae perpetrant, ut cuncta procedant male,
Atraeque bilis sopias fluctus truces,
Quae sis decora contubernalis mihi.
Lataeque terrae deinde primitias sacras
Pro prole fausta nuptiisque prosperis
Adepta semper verba laudabis mea.

Chorus.

[1]) A. Eheú me vetústam hoc patí subque térra
Locá tenere sprétum genús eheu perósum!
Vomó tota víres
Et íras trucés!
Ohé! vae papaé!

[1]) Cf. quae de metrica ratione prioris cantici disserui.

B. Dolór quis subít pectus! heú quis dolór!
Paréns audiás Nox odía! Publicós
Honóres meós in nihíl iam deúm
Redégere númquam domándi dolí.

Minerva.

Iras redono, namque natu maior es;
Sed tu licet me viceris sapientia:
Haud male mihique sapere Iuppiter dedit. —
Sed vos peregre commorantes in locis
Requireretis hoc solum; sic auguror.
Nam tempus instans hosce cives evehet
In maius; atque prosequentur te tuam
Sedem tenentem prope domos Erechthei
Pompae virorum et feminarum laudibus,
Nunquam feres quas ab aliis mortalibus.
Sed tu meis ne ruribus proieceris
Cotes cruentas, mentibus iuvenum graves,
Unde absque vino pariter ebrius furor,
Neu collocaris pectus ut galli trucis
Iris adurens inter hos cives meos
Civile bellum et inter ipsos horridum.
Externa sunto bella, nec domos prope,
In quîs cupido gloriae sit nobilis:
Domesticae non comprobo pugnas avis!
Haec tanta per me consequi tibi licet:
Tum beneficae tum bene decorae honoribus
Huic interesse dis solo carissimo.

Chorus.

A. Eheú me vetústam hoc patí subque térra
Locá tenere sprétum genús eheu perósum!
Vomó tota víres
Et íras trucés!
Ohé vae papaé!
B. Dolór quis subít pectus! heú quis dolór!
Paréns audiás Nox odía! Publicós
Honóres meós in nihíl iam deúm
Redégere númquam domándi dolí!

Minerva.

Nunquam fatiscam fausta praedicens tibi,
Ne quando dicas te deam priscam novae
Mihi repulsam civibusque urbis meae
Abiisse ruris huius expertem hospití.
Sed si Suadam qua colis reverentia,
Linguae meae lenimen et solatium,
Hic tu manebis; sed manere si fugis,
Non debite tu moveris urbi meae
Odium vel iram vel feres genti malum:
Nam fas tibi est tenere divites agros
Colique iuste sempiterna in tempora.

Chorus.

Regina Pallas, quam mihi sedem dicas?

Minerva.

Omni dolore liberam; sed tu cape!

Chorus.

Iam sede capta quae manet me dignitas?

Minerva.

Sine te domus nec ulla fiet prospera.

Chorus.

Hoc tune molieris, haec ut polleam?

Minerva.

Nam te colentes commodis augebimus.

Chorus.

Et hoc in omne stare tempus praes eris?

Minerva.

Nec enim licet spondere, quae non expleam.

Chorus.

Pacare me videris; ira ponitur.

Minerva.

Iunges in arvis his amicos sic tibi.

Chorus.

Et huicce errae quid precari me iubes?

Minerva.

Quicquid decoram spectat ad victoriam: [1])
Haec exque terra prodeant et ex mari
Et coelitus ventique fausta flamina
Phoebo secundo comite permeent agros
Nec terra fructus uberemque vim gregum
Unquam fatiscat civibus profundere
Dulcem et salutem seminum mortalium,
Sed impiorum proterantur semina: [2])
Ut hortulanus vir genus mortalium
Iustorum amo luctusque tristes arceo.
Hoc iam tuum est; sed Martis in certamine
Ego decoro non fatiscam persequi,
Ut haecce victrix evehatur urbs viris.

Chorus.

στρ. α΄. [3])
Palladis deae tenebo contubernium nec urbem
Neglegam, quam Iuppiterque cuncta pollens Marsque celsam
Protegunt arcem deorum numinumque Graeciae aras
Gloriam custodientem:
Cui favens ego precabor augurata mente comi
Solis ut iubar coruscum
Gignat ex terra bonorum copiam vitae beatam.

σύστ. α΄. [4])

Minerva.

Haec civibus his placide perago
Magnasque deas et difficiles
Haec ut colerent loca perducens.
Has — quicquid agunt homines — sua sors
Curare iubet.

[1]) Haud inepta mihi Todtii (Philol. XV. p. 218) coniectura videtur:
ὅποι̃ ἂν εὐχῆς μῆ κακῆς ἐπίσκοπα, qua recepta versus sic verti poterit:
Quod impetrari non mala potest prece.

[2]) Cum Weilio sic lego: τῶν δυσσεβούντων δ' ἔκφορος σπορὰ πέλοι.

[3]) Ut unius generis essent numeri, hanc et stropham et antistropham ita expressi, ut quinis tetrametris trochaicis acatalectis insererentur bini dimetri trochaici acatalecti.

[4]) Systema ex dimetris et monometris anapaesticis acatalectis et uno paroemiaco constat, ita ut a fine versuum absit et hiatus et syllaba anceps, caesuram paroemiacus nullam, dimetri autem legitimam habeant in secunda arsi.

Quas qui diras sibi nactus erit [1])
Nescit vitae
Plagae tristes unde parentur.
Nam maiorum peccata virum
Tradunt illis — tacitum damnum —
Multa sonantem
Perdunt iris inimicis.

Chorus.

ἀντ. ά. Nulla tempestas adhalet arbores vastans — favorem
Hunc meum loquor — nec ardor, germinum trux hostis, unquam
Transeat fines locorum nec lues propinquet atra
Proterens fructus gregesque
Cum gemella prole gignat terra temperi beatos
Atque fortunata semper
Ex fodinis gens honoret munus affluens deorum!

Minerva.

σύντ. β΄. [2]) Auditisne haec, urbis columen,
Quae perficiant? Multum Furiae
Sanctae pollent interque deos
Et ad infernos et res hominum
Clare certo cunctas peragunt
Cantus aliis, aliis vitam
Caecam lacrymis tribuentes.

[1]) Sententiae aptissimum mihi visum est cum Otofredo Muellero sic legere hunc locum: ὁ δὲ δὴ κύρσας βαρέων τούτων vel βαρεῶν, qua de feminini forma cf. Muelleri ed. Eum. p. 14 addit.

[2]) Systema ex sex dimetris anapaesticis et uno paroemiaco constat, et eaedem leges servatae sunt de quibus paulo ante dixi.